

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CXCIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

duximus obligandum, & titulo pignoris per ipsum Egonem vel heredes ipsius tamdiu tenendum, quousque idem Egno vel sui heredes, in prefatis mille marcis argenti per nos vel nostros in Imperio successores fuerint plenarie expediti. Nolentes, ut fructus percipiendos, quos sibi ex libertate Regia condonamus, memoratus Egno vel sui heredes in fortem debiti principalis computare ullatenus teneantur. In cuius rei testimonium presentes conscribi, & Nostre Majestatis sigilli munimine iussimus roborari. Datum apud Nurnberch XVI. Kal. Januarii anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo Indictione XII. regni vero nostri anno primo.

||
(L. S.)



CXCIII.

ALBERTUS REX ROMANORUM FRATRI SUO ALBERTO COMITI DE LEWENSTEIN CONFIRMAT OMNIA, QUÆ A PATRE SUO RUDOLPHO ACCEPERAT.

A N N O M C C X C V I I I .

Ex Tabulario Electorali Palatino.

ALBERTUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus universis sacri Romani Imperij fidelibus presentes Litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum. Licet ad omnes fideles nostros, quos Romanum

Romanum ambit Imperium, benevolentiam & clementiam Regiam expandere debeamus, tamen dignum iudicat nostra serenitas & congruum arbitratur, quod ratione suadente personas illas, quas nobis sanguinis unit affectio, gratiosiori affectu pre ceteris prosequamur; Hinc est, quod constare cupimus uniuersis, quod nos ad personam nobilis viri Alberti Comitis de Lewenstein Germani nostri charissimi ramos nostri favoris & gratiæ latius expandentes, omnes Libertates, Donationes, Concessiones, & gratias per inclitæ recordationis illustrissimum Dominum Rudolphum Romanorum Regem, predecessorem & genitorem nostrum charissimum de consensu principum Imperij sibi concessas & factas ratas habemus et gratas, ipsas et omnia ipsius feoda cum iuribus ad Dominium in Lewenstein pertinentibus in omnibus et singulis suis articulis approbantes, innovantes, confirmantes, et de novo ex Liberalitate Regia concedentes ac præsentis scripti patrocínio munientes. Nul- li ergo Imperij fidelium liceat eundem Comitem Albertum Germanum nostrum contra dictæ approbationis, innovationis, confirmationis, et concessionis nostræ tenorem molestare aut aliquo modo perturbare, alioquin indignationem Majestatis nostræ incurret graviter et offensam. Datum apud Nurnberg Id. Decembris Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo. Indictione XIJ. Regni verò nostri anno primo.

Nota. Cum hac Charta conferatur supra alia ad A. 1283.

Cod. Dipl.

R r